



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

De Scenetis Barbaris, quòd fœdera cum Romanis sanxerunt. Cap. XXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

tum imperatoris, tum Constantinopolitanorum magnopere recreavit: quippe & Longinus, & Indus, catenis ferreis collis eorum circumiectis, instar triumphi, per plateas ciuitatis, & per circum ducebantur. Atque ea de causa, quae iam ante vectigalia Isaurica dicebatur, (erant quidem ista, summa auri ad quinque millia librarum, quae quotannis Barbaris pensitari solet) in thesauros imperatoris impotata fuere.

De Sceneris Barbaris, quod foedera cum Romanis sanxerunt. Cap. XXXVI.

BArbari porro, (quos *σκυθῆτες*, id est in castris & tabernaculis habitantes vocant) arrogantia elati contra imperium Romanum non sine suo damno arma ferunt: Mesopotamiam, vtramque Phoeniciam, & Palaestinam depopulantur: qui quidem à ducibus cuiusque prouinciae grauius & acerbè afflictati, in posterum, foedere cum Romanis omnium suorum nomine pacto, conqueuerunt.

De Abida obsidione, & edificatione Daras. Caput XXXVII.

Persae praeterea, ruptis foederibus, & proprijs sedibus relictis, Cabade ipsorum rege duce, primum in Armeniam incursionem faciunt: atque oppido, quod Theodosiopolis vocatur, capto, Amidam, urbem Mesopotamiae satis munitam accedunt: eamque obsidione capiunt: quam imperator Romanus non sine multis molestijs ac laboribus recuperavit. Quod si quisquam studio ducitur istas res ad vnguem (vt aiunt) cognoscendi, & omnes peruestigandi accurate, Eustathium legat, à quo disertè admodum summoque cum labore & exquisita elegantia narratae literisque prodita sunt: qui cum historiam ad tempus, quod nos iam persequimur, deduxisset, & ad annum duodecimum regni Anastasij finem scribendi fecisset, excessit è vita. Hoc bello cōfecto, Anastasius locum quendam Mesopotamiae, qui Daras dicitur, in extremis imperij Romani finibus situm, & velut terminum, quo altera resp. ab altera, distin-